



Disseminationes hoc volumine contentae.

1. Geminae quaestiones in iure publico et in re libera tractatae quas praesentavit Petro Leopoldo. S. N. D. examinandas proposuit Andr. Petrus Wolffm. Regiomont. Franc. Jenae.
2. Juris aliquot emendata, quas praesentavit Heinrico Bocero Sr. pro Doctoratibus in utroque iure in iuris publicis disputatione subiecit Georgio Wolfgango Hilbornmanno, Neuwirg. Palatinus Tubingae.
3. Propositiones Juris publici quas publice discutendas proposuit Christophorus Treibisig S. N. D. Resp. Conrado Casp. Bovio, Wittenberg. Lipsiae.
4. Dissertatio ad tit. 5. et 6. libri 2. ff. quam praesentavit Christophoro Bealdo Sr. discutendam proposuit Burkhardus Ehinger Tubingae.
5. Diss. de Jure Naturae praesentavit Johanne Gyphandro S. N. D. defensa a Georgio von Broy, Akenburg. Tuberae Fr. Jenae.
6. Diss. de necessitate defensionis praesentavit Heinrico Bocero Sr. proposita a Daniele Rantow. Tubingae.
7. Conclusiones de Jurisdictione quas eodem praesentavit Dominico subiecit Johannes Georgio Halbitter. libid.
8. Assertionem legales de transactione quas praesentavit Petro Theodoro S. N. D. pro gradu Doctoratus in utroque iure sequendo subiecit M. Georgio dist. Lips. Jenae.
9. Diss. de transactionibus praesentavit Johanne Harprecht Sr. pro summo in utroque iure gradu sequendo publico examini submissa a Georgio Langen. Homb. Tubingae.





DISPUTATIO SOLEMNIS  
De  
**IVRE ADCRE-  
SCENDI CONTRO-  
VERSO**

Q V A M

Sancto Johanne omnipotentis auctoritate  
*Decreto & Autoritate Nobilissimi Iurecon-  
sultorum ordinis in Electorali Academia Hei-  
delbergensi antiquissima.*

PRÆSIDE

*Clarissimo viro*

**DN. PHILIPPO HOFFMANNO,**  
Jcto & Antecessore.

*Pro Doctoralibus privilegiis, & summis in Iure et  
in q̄q̄ honoribus dignè obtinendis, publico examini  
submittit*

**JOANNES ZABELIUS Brandenburg.**

*In novo Ictorum auditorio. 5. April.*

HEIDELBERGÆ,

TYPIS Johannis Lancelloti, Acad. Typogr.

clō 16c XV.





ILLVSTRI GENEROSÆ

NOBILITATIS PROSAPIA, REVE-  
renda Pralatura eminentiâ, multa multa doctrina &  
virtutis præcellentiâ splendidissimis Viris

DN. JOACHIMO à WINTERFELDT, Sereniss. &  
potentiss. Electoris Brandenburgici Consiliario Ma-  
gnifico, Ducatus Crossnensis Administratori incluto,  
Sternebergensium Præsidi & Capitaneo strenuo, &c.  
Literarum Patrono literatissimo, Domino & Mece-  
nati meo magno.

DN. GEORGIO à WINTERFELDT,  
Ordinis S. Joannis Equiti & Commenda-  
tori, ac Præsidi provinciali Schivelbeinen-  
sium designato, exoptato, &c. Domino &  
promotori meo honorando.

NEC NON

*Nobilissimis juxta ac Præstantissimis Viris-  
Juvenibus*

DN. CHRISTIANO, & DN. ADAMO à  
WINTERFELDT, Dominis in Dalmin  
Sandow, & Trebichow, &c. jam temporis  
in illustri illustrissimorum Ducum Wür-  
tenbergicorum Collegio, quod Tubingæ  
est, degentibus, Meis per triennium disci-  
pulis oculissimis, Fautoribus & Amicis æ-  
tatem certissimis.

*Fratribus Ger-  
manis, DN. DET-  
LAVI WINTER-  
FELDTII p. mem.  
viri ortu, Arte  
& Marte Nobi-  
lissimi, quatuor  
Electorum Bran-  
deburg. ns. consi-  
liarii, Commen-  
datoris & præsi-  
dis Neomarchicæ  
desideratissimi  
&c. Magni pa-  
tris magna rei,  
magna spei filius.*

*Hunc grati & parati animi obsidem, veri & sinceri  
Amoris testem perpetuum merito-tu bens sistere  
Debui Volui*

JOANN. ZABELIUS.





*Disputatio Solemnis.*

D E

JURE ADCRESCENDI

controverso.

*Conclus. I.*



E JURE ADCRESCENDI, quo vix ullū in universo Jure nobilius, nullū difficilius, nullū subtilius majorū simulac minorū gentiū Dd. & Interp. Cōmuniter uno ore jactitāt omnes, impræsentiarum, ADJ Vtore omnipotenti Christo Jesu, accuratius differere curæ pretium ducimus. Vbi in ipso præparatoriorum limine dubium occurrit altiore & solertiore indagine minus indignum, magis indigum circa natalem & primævam huius Juris originem, de quâ varii sunt variorum sensus & dissensus, & quia multipliciter disputatur, propemodum illa ignoratur.

II.

Sunt qui Legi 12. tabb. acceptum Jus accrescendi referant, idq; certiorare satagant ex *L. si in testamento s. D. de Vulg. & pupill. subst.* qua pars vacās per legem vindicari adstruitur. *Glossa in L. pater 29. §. fin. in Verb. Jure antiquo D. de Legat. 2.* cuius Authoritatem vel sine ratione Pythagoricās valere nonnulli antiquorum Dd. quos modernis pondere, numero & mensura præstantiores putabat Bl. in *L. fin. n. 47. C. de Edict. D. Hadr. toll. referente Anton. Maria Corat. de Comm. opin.*

A 2



tit. 5. n. 11. Superstitiosè nimiùm crediderunt, & hanc quoq; eius opinationem carervatim receperunt, attestante Gratio §. *Ius accrescendi q. 1.* quam suspectam tamen, ne dicam despectam facere videtur prælibatæ L. 5. epigraphe, quæ est ad L. Jul. papiam, nec non ipsamet lex decemvralis testamentaria, quæ ex veterum legum naufragio salva evasit, & paterfamilias uti legassit rei suæ, ita Jus esse, liberaliter constituit L. 120. de V. S. in pr. Inst. de L. Falcid. cui nihil minus, quam Jus accrescendi congruit. Siquidem dùm libertatem illa testandi laxam & immodicam, pro suo cuiq; arbitrio indiscriminatim tribuit, non de totis bonis testatum, sed & pro parte intestatum decedere iam tum pro lubitu potuisse aliquem, haut obscure innuit, id quod Jus accrescendi valide impedit.

## III.

Sunt alii, qui Legi Papiæ adscribere mavelint *arg. d. l. 5 de Vulg. Duar. 1. de Iure accr. 1. Trentl. p. 2. disp. 13. th. 3.* quæ lex tamè Jus accrescendi antiquavit potiùs & totùm ferè mutavit. L. un. in pr. vers. *solis parentibus C. de Cad. toll.* Sunt alii qui aliunde eius ortum repetant, & anxie satis inquirent. Verùm utut istâ in lite, quæ ad statum Rei Romanæ parùm pertinet, neque Germaniæ opes continet, suo sensu abundare cuilibet liceat, præ ceteris tamen solùm illi, qui à Consultis Mediæ Jurisprudentiæ, quorum mentionem injicit Pompon. in L. 2. §. *his legibus 5. de Orig. Iur.* per interpretationem & fori disputationem, adinventùm hoc Jus esse autumant quos sequitur Sæv. 1. de *Iur. accr. 3.* ac rem tetigisse, aut certè à vero propius abesse videntur. Nam Authore eodem Pompon. in d. l. *verbis 120. de V. S.* latissima illa legandi & testandi potestas. lege 12. tabb. tributa, postmodum interpretatione coangustata est, vel legum vel autoritate Jura constituētium. Lex enim illa Decemvirorum duplici modo, cum  
pro-



5

propter amplitudinem vocis legasset, tùm propter arbitrium & voluntatem testantis longe liberrimam, adeò generalissima fuit, ut necessitate quadam posteritas coacta sit, eam dupliciter restringere, & ad certos limites revocare. *Gædd. ad d. L. 120. n. 1. de V. S. per Jura constituentes Cujac. ibid.* intelligit ipsos prudentes, sive Jctos, qui & Juris Auctores *L. 3. D. si pars hered. pet. L. 39. de Act. Empt. L. 17. de Jure patron.* Juris item Conditores bene audiunt. *L. 27. C. de procur. L. 25. C. de Nupt. vid. Revard. de Auctor. prudent. c. 14.*

I V.

Ne autem errore primùm, deinde consuetudine optentum, contrà quàm vult *Cels. in L. 39. D. de LL.* sed bonâ ratione à prudentibus inductum hoc Jus esse appareat, in causam eius introductoriam sollicitiùs inquirere, eamque ad amissim Nomothesiæ Civilis pensiculatiùs exigere, cum primis iuvat. Legis enim anima ratio est, illamque apprimè commendat. *c. consuetudo dist. 1.* Ignorantia rationis radix est tot robustiorum Juris controversiarum: Scaturiginem imò omnium errorum huius, quam proponimus, materiæ invexit. Teste eruditissimo *Ant. Fabro decad. 49. error. pragmat. 1.*

V.

Duobus hoc Jus niti potissimùm fundamentis solis & solidis non abs re remur, partim coniuratis Juris principiis, partim coniecturatis denatorum votis & voluntatibus novissimis. Analogiam enim sapientiæ civilis non pati, ut quis eiusdem hæreditatis legative partem agnoscat quidè, partem verò respuat, ratiocinatur *Imp. ipse in l. un. §. his ita 10. C. de Cad. toll. idque mutuatur ex L. 1. & 2. D. de acquir. vel omitt. hered. L. legatarius 38. D. de legat. 1. L. neminem 4. L. grege L. si cui 58. de legat. 2.* Hæreditas etenim individua est, & hæres eadem cum defuncto persona fingitur, eiusdemq; locū



& personam representare intelligitur *L. Pomponius 8. in fin. D. de Rei vind. L. legatum 116. §. 3. de legat. 1. L. nihil aliud 24. de V. S. junct. L. heres & hereditas 22. D. de usuc. Dionys. Gothofr. precept. & promotor meus observandus. ad L. non minus 31. §. fin. de hered. Instit.* Repræsentationes autem & fictiones Juris venustæ & vetustæ, quas acutas ineptias indigitat Seneca, naturam ipsam æmulari & exprimere affectant. Quæ admodum itaque naturaliter absolum est, & fieri nequit, ut quis in vivis, tantum pro parte supersit, sic etiam civiliter absurdum esse putarunt, ut quis pro parte in rerum natura esse fingatur, vel repræsentetur. Sed & si quis unius, eiusdemque legati vel hereditatis, partem adprobat, partem reprobat, pugnantia iste loquitur, sibiq; ipsi contrarius, & iccirco non audiendus est. *L. 2. §. 1. D. Quando appell. sit.* Nam cum utraque pars eiusdem sit naturæ, nulla ratio esse potest, cur una magis placeat alterâ *Dozell. 8. Comm. 18.* Neque integrum est partem semel quæsitam repudiare *L. 4. C. de repud. hered.* Hæres præterea testamentarius si hereditatis delatæ partem tantum cernere præsumat, notum & immotum Juris principium, quod seriò cavet, ne quis pro parte testatus, pro parte intestatus decedat, *L. Ius nostrum de R. I.* studiosè violat, aliosque prægravare laborat.

## VI.

Quam Imperatoriam rationem ex ipsissimis Jurisprudentiæ visceribus prægnatam, tot subrationibus suffultam, insufficientem esse insufficienter probat *Vasq. de Success. progr. lib. 3. §. 21.* Eandemq; in legatis acceptare recusat *Ant. Faber*, ac Jus accrescendi, quod in legatis est, universum ex sola voluntate testatoris cum nonnemine æstimat, ut id à verbis tantum coniunctis eò longius proscribat. *d. dec. 49. err. pragm. 1. & 4.* Nullam subesse rationem ita violentam ut à præfata Imperatoris ratione divortium nos facere cogat, statui-



statuimus cum *Corras. in L. testamento C. de Impub. & al. subst.*  
Quia verò tantę importantiæ, & eius fortitudinis est hæc  
Imperatoris ratio, ut non modo partem vacantem accre-  
scere efficiat, sed & invitis ut plurimum obtrudat, ideo re-  
tinenda magis; non rejicienda cum *Decio in L. un. C. Quan-  
do non pet. part.*

## VII.

Ultimę voluntatis conjectura, quæ in Jure ad crescendi  
plurimum concurrere ad solet, divinatoria aut difficilis nõ  
est Nam quicumque conjunctim hæredes instituit, aut cõ-  
junctim legat, totam hæreditatem & tota legata singulis  
dedisse, partes autem concursu fieri voluisse præsumitur  
*L. conjunctim 8 ff. de legat. 3.* & quos testator ad eandem hære-  
ditatem, idemve legatum vocat, eos unius omnes loco cõ-  
stituit *L. planè 34. in pr. de legat. 1.* atque invicem quasi substi-  
tuit *L. si Titio & Mævio 61. §. 1. de legat. 2.* ut si unus aut alter  
portionem suam habere omittat, cæteri eandem capiant,  
& tantundem habeant, quantum habuissent omnes si con-  
currissent Cui dispositioni si quis contravenire audeat, aut  
parere contemnat, næ honorem ille sibi delatum, & libera-  
litatem defuncti superbè fastidit *Cuiac. 23. obs. 6.* id quod  
grave est homini beneficium conferenti, & speciem iniu-  
riæ quandam redolet *juxta Senec. Duar. 1. de Jure acer. 3.* Et  
quemadmodum nihil est quod magis hominibus debeat-  
ur, quam ut supremæ voluntatis, postquam jam aliud velle  
non possunt, liber sit stylus, & licitum quod iterum non re-  
dit arbitrium *L. 1. C. de S. S. Eccles.* ita etiam æquo & bono cõ-  
venit, ne voluntas testatoris individua *L. eum qui 18. §. fin. de  
his quæ ut indign.* dividatur, & pro parte intercيدات *L. nemi-  
nem 4. de legat. 2. l. cui fundus de condit. & demonstr.* publiceq;  
expedit suprema hominum Judicia exitum apisci, & ab  
hæredibus, ac legatariis plenè ac plane adimpleri *L. vel ne-  
gare*



*gare s. D. Testamen. quemadm. aper. cum nullum maius solatiū  
sit fati, quam voluntas ultra fatum. Lips. in præfat. ad Lector.  
lib. 1. de cruce.*

## VIII.

Sic etiam, si quis ab intestato decedat sponte sua fami-  
liam legitimis suis hæredibus secundum ordinem & mo-  
dum à Jure præscriptum heriscundam relinquere credi-  
tur *L. conficiuntur 8. §. 1. D. de I. Codicill. eo ipso quod nihil ad-  
emit testamentum condendo & alios hæredes instituendo  
L. 1. §. sciendum 6. de legat. 3. adeoque in omnibus, etiam quo-  
ad Jus accrescendi, communi & regulari Juris dispositioni  
se conformare voluisse, jure meritoq; præsumitur.*

## IX.

Nec tenuis est, aut obscura valde voluntatis ultimæ hæc  
suspicio, ut suspicatur *Duar. 1. de Jure accr. 1. & de acquir. hæred.  
c. 6. sed prægnans admodum & perspicua satis. Neque verò  
album meretur calculum quod idem ibidem adstruit, ple-  
rumque contra voluntatem testatoris Jus accrescendi cõ-  
petere, cum etiam inter liberos immeritò præteritos vel  
exhæredatos contra ordinationem paternam consistat. *L.  
si ponas 23. §. ult. ff. de inoff. test. L. si duobus 12 ff. de bonor. poss. cõ-  
tratab.* Nam quotiens pater non meritis de causis, sed no-  
vercalibus forte delinimentis, aliisque odiis instimulatus  
liberos suos exhæredes scribit, totiens sanguini suo contra  
legem naturæ, quæ ad parilem successionem liberos vocat.  
*L. scripto 7. §. fin. D. unde lib. L. cum ratio 7. D. de bon. damn. im-  
probam infert injuriam, & ob id ista ipsius volūtas pro nulla  
recte habetur. Quæ enim, lædunt pietatem vel verecundiã  
nostram, nec velle nec facere nos posse credendum est, uti  
respondet Justitiæ Martyr Papin. *L. filius 15. D. de condit. In-  
stit.* Nec quisquam facere potest, ne leges in testamento suo  
locum habeant, *L. nemo potest 55. de legat. 1. & ea quæ lege fieri  
inhi-***



9

inhibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeatur *L. non dubium s. C. de LL.* Non igitur in facto injustæ alicuius dispositionis, sed in Jure & coniectura legitimæ voluntatis Jus nostrum ad crescendi recte fundamus, non attendentes quid malè sanus aliquis illegitimè voluerit, sed quid sanus & bonus quisque velle legitime potuerit, debuerit.

X.

Ratio Juris ad crescendi cotidiana & vulgaris, quam tanto consensu & unanimi applausu Dd. plerique omnes acceptant, & exinde hoc Jus derivant, quod alioquin fieret ut quis pro parte testatus, pro parte intestatus decederet *contra L. Jus nostrum 7. de R.I. & ibid. P. Fab. Grass. §. Jus ad crescendi q. 3. ubi Gl. Br. Bl. Cyn. Dec. innumerosq; laudat alios quos sequuntur Vasq. lib. 3. §. 21. de success. progr. Romul. ad L. re conjuncti 89. n. 15. de legat. 3. Mattheac. 2. de via Iur. 20. n. 12. Gutierrez. in repet. L. un. n. 4. C. quando non pet. part. Trentacing. de substit. p. 1. c. 15. n. 2. licet vera sit, generalis tamen & proxima non est, cum non nisi in testamentariis hæreditatibus obtineat, in legatis verò & successione ab intestato tota taceat. *vid. Aegid. Hortens. de usufr. accr. in pr. & quamlibet ab initio aliquis pro parte testatus decedere nequeat, tamè id ex post facto contingere quandoque potest, & causa superveniente, puta rescisso ex parte testamento per querelam inofficiosi testamenti L. nam etsi 15. in fin. L. circa 24. de inoff. test. L. cum duobus 13. C. eod.**

XI.

Ex alia ratione eandem rationem improbant, & rejicillam reputant *Alex. & Ias. in L. un. C. quando non pet. part. & in d. l. re conjuncti de legat. 3.* quod nec in milite, nec in contractibus illa procedat. Cæterum utcunque incompetentior at-



men est hæc improbatio, incompetentissima improbandi  
motiva, ex falsis præmissis collecta, utrobique enim Jus ac-  
crescendi perperam præsupponitur, cum tamen & testa-  
mentum militare & contractus id ipsum Jus nesciant, ejus-  
que rationem susque deque habeant, quod denique dedu-  
citur latius.

## XII.

Quantumvis verò civilibus hisce & subtilibus funda-  
mentis Jus ad crescendi superstructum in viridi aliquandiu  
fuerit observantia, necessitas tamen & salus populi, lex illa  
suprema, potiorq; publicæ utilitatis ratio suasit aliquando  
& persuasit ut bonam sui partem tolleretur, adeoque priva-  
torum commodum publico incommodo accommodare-  
tur. Lege enim Papiæ Poppææ, ob causas aliquam multas,  
cum primis ut Civitati nervis rerum gerendarum per bella  
civilia & intestina enervatæ, opem & opes, sine quibus ma-  
gnitudo Rei Romanæ stare non poterat, commode repa-  
raret, & exhaustum ærarium repleret iterum ac locupleta-  
ret, tempore Augusti Cæsaris latâ, *inter plura alia de quib. Val.  
Forster. in histor. Jur. Civil. lib. 1. c. 31. Gædd. ad L. Spadonum 128.  
n. 1. de V. S. Lips. in Comm. ad Tacit. lib. 3. Annal.* hoc quoq; cau-  
tum erat ferio, ut pars hæreditatis legative vacans in fiscum  
potius ceu caduca caderet, quam cohæredi aut collegata-  
rio ad cresceret, &c. *Ulpian. tit. 24. §. 12. Cujac. in par. C. de Cad.  
toll.* Verum enim vero cum Jus Caducorum omnibus esset  
infestum, & satis invidiosum ex bellis ortum & auctum ci-  
vilibus, Imp. Justinianus subditorum commodum suum es-  
se proprium imperialiter existimans, & maiorem æquita-  
tis, quam fisci rationem habens, in pacificis Imperii sui tē-  
poribus, populo & ærario jam ad aucto Jus ad crescendi an-  
tiquum in Integrum restituit, & Jus caducarium ab orbe  
Romano reclusit, ut quod belli calamitas introduxerat,  
hoc



hoc pacis lenitas sopiret *L. un. C. de cad. toll.* Non itaque pernicioso exemplo quod dixit Bodin. *6. de Republ. 2. n. 662.* & cōtradixi Ego in disputat. AntiBodiniana posit. ult. sed æqua-bona ratione leges caducariæ antiquatæ sunt & abrogatæ. Civium enim commodis prospicere nulli magis, quã principi convenit, nec quidquam justius est aut benignius, quàm ut deficiente & exspirante legis ratione ipsa quoque legis dispositio deficiat & exspiret. Siquidem tyrannis lex foret, si mutatis causis constitutionis, & rationibus introductionis cessantibus, illa eadem perpetuò imperaret *Petr. Gregor. 1. de Republ. 5. n. 17.*

## XIII.

Accrescere naturaliter, primitusq; plantis potissimum coalescentibus proprium erat, sed in usu Juris ad quodlibet fere augmentum accommodatur, præcipuè de alluvionibus frequenter prædicatur *L. ergo 30. L. in insula 56. D. de adq. rer. dom. l. 1. in fin. C. de Alluv.* à quarum natura Jus nostrum ad crescendi nomen mutuo accepisse vero absimile non est, cum ipsi met J Ctorum principes Julian. & Papin. alluvionibus hoc Jus adsimilare non dubitarint. *L. si Titio 33. D. de usufr. accr.* cujus similitudinis elegans in promptu ratio est, frustra ab acutissimo Hilligero amico nostro *in notat. ad Donell. exucl. 7. comm. 12.* reprobata. Quemadmodum enim alluvio latens est incrementum, & fundo vicino latenter nec ulla ullius opera interveniente aliquid adjicit §. *praterea Inst. de Rer. divis.* Non multo secius Jus quoq; ad crescendi latens quoddam incrementum dici potest, quod latenter sive tacite, ipsoque Jure *L. 8. de honor. poss. sine ullo aliquo hominis facto aut nova aditione partem occupatam adauget L. si quis. 35. L. qui semel 53. §. fin. de adq. hered.* & partem hæreditatis legative vacantem etiam ignorantibus *L. heredi 31. de adq. hered.* imo ut plurimum invitis offert & adfert *l. un. §. 10. C. de Cad.*



*toll. Govean. & Suv. de Iur. accr. Henric. à Sueria. de usufr. accr. in  
pr. trahitque ad se alterius portionem, sicut cortina corti-  
nam Knichen p. 1. c. 1. n. 303. & seq. de vestitu. pact.*

## XIV.

Jus ad crescendi est modus acquirendi, quo portio hære-  
ditatis legative vacans cohæredibus vel collegatariis con-  
junctim cum deficiente vocatis acquiritur.

## XV.

Cum in toto Jure sedem aliquam commodiorem, & pro-  
priam magis, quam inter modos acquisitionis Jus ad cre-  
scendi nullibi inveniat, eò id ipsum referre, & vestigiis pri-  
scorum Jctorum ac Imperatoris §. *fin. Inst. de donat.* insiste-  
re, quam genus aliquod generale nimis, & minus proximū  
*cum Vult. Suv. & plerisque aliis*, adsciscere malo. Nec cum  
Hilligero *ad Don. 7. comm. 12. lit. A.* reprehendere possum  
Gœddæum, quod non tantum acquirendi modis particu-  
laribus hoc Jus accenseat, sed etiam à legato & fideicom-  
misso distinguat *in L. 23. n. 5. de V. S.* Universalibus enim ad-  
quirendi modis annumerari id non potest, cum accessorii  
cuiusdam instar obtineat, & nunquam totam hæreditatem  
sed partem solummodo vacantem deferat, aliamque par-  
tem antehac occupatam præsupponat. Si quid Jure accre-  
scendi alicui obvenerit, eum non pro accreto, sed vel pro  
hærede, vel pro legato possidere, nemo, opinor, inficias i-  
bit, neque Jus accrescendi possessionis esse titulum, à titulo  
pro hærede vel legato separatum Cōsultissimus Gœddeus  
ullibi dixit. Nam Jus ad crescendi ne quidem est titulus ali-  
quis possessionis, sed modus acquirendi, à modo legati &  
fideicommissi acquirendi directo & regulari rectissime dis-  
tinctus. Legatum enim recte, & principaliter ex aperta te-  
statoris ordinatione ad nos pervenit, portio verò accrescens  
non nisi per consequens & propter aliud ex tacita defuncti.  
& di-



& diserta legis dispositione competit, & vice accessionis legato vel hæreditati cædit. Nec Jus ad crescendi perinde ut legatum duplicem in Jure significatum recipit, & nunc modum acquisitionis, nunc titulum possessionis exprimit, sed cum aliis & illis præfertim acquirendi modis, qui accessionis vicem sustinent, ut sunt: Implantatio, Satio, alluvio, &c. hoc commune habet, ut novum & peculiarem possessionis titulum per se nõ faciat, aut constituat, sed illum jam adesse constanter & perpetuo præsupponat, & naturam eius cui accrescit induat. Sic enim alluvio, sic reliquæ accessiones, modi sunt acquirendi à cæteris revera disparati, §. *item ea 13. & seqq. Inst. de Rer. divis. L. adeo quidem 7. §. 1. & seqq. D. de acquir. rer. Domin.* tituli tamen possessionis non sunt, neque is, cujus fundo per alluvionem, sationem, implantationem, &c. non nihil accessit, titulum suæ possessionis probaturus, in auditos in Jure titulos pro alluvione, pro sato, pro plantato, &c. sed ipsum illum titulum, quo fundum cui aliquid istis modis accessit, possidet, recte allegat. Pari nempe ratione, qua ille cui Jus accrescendi aliquid adiecit, si titulum docere debeat, non pro accreto titulum somniat, sed titulum quo partem prius adquisitam, & jam adauctam occupat, nimirum pro hærede, vel legato scitè nominat. Accessorium enim eodem Jure cum suo principali censetur, eiusq; naturam adsumit & sequitur *L. s. D. de Vulg. & pupill. &c.*

## XVI.

Ut Jus ad crescendi competat, portionem aliquam hæreditatis legative vacantem superesse oportet, id est, quæ nondum occupata fuerit à quoquam, aut adquisita *l. 1. §. fin. de usufr. accr.* Jus namque accrescendi non minus ac substituti ipsa aditione & agnitione exspirat. *L. Si Titio. 61. §. 1. de legat. 2.* Vacans itaque pars efficitur, quando hæres vel legatarius deficit, sive abstineat, sive repudiet, sive omittat par-



tem sibi delatam, sive morte preventus, sive alia ratione præpeditus fuerit. *L. si ex pluribus 9. D. de suis & legit. L. un. C. de Cad. toll.* sed & is tamen qui usum fructum legatum & acquisitum postea amittit deficere censetur. *L. 1. §. interdum 3. de usufr. accr.* sicuti & Minor qui contra immixtionem additionemve in integrum restitutus est. *L. si minor 61. D. de acq. hered.* Contrà pro deficientibus non habentur illi, qui Jure transmissionis gaudent, ut sunt liberi, qui etiam ante apertas tabulas defuncti, hereditatem non aditam transmittunt ad hæredes suos *l. un. C. qui ante apert. tab.* Quod in extraneis heredibus ita demum obtinet, si hereditatem sibi delatam sciant, & intra annum ad deliberandum concessum moriantur, *L. cum in antiquioribus 19. C. de Jure delib.* Suis quoque hæredibus non modo abstentionis beneficium indultum §. *sin autem vers. sed his Inst. de hered. qual. l. 1. & 2. C. de repud. hered. Nov. 119 c. 6.* Verùm etiam hæreditatis repetitio & recuperatio, antequam bona à sequente hærede venierint, integra est & concessa, *juxta tenorem constitutionis Justinianæ in l. ult. C. de repud. vel abst. hered.* Sed & quæ indigno pars aufertur pro vacante non est, cùm extemplo occupetur à filco *L. un. §. que autem C. de Cad. toll.*

## XVII.

Neque tantùm partem aliquam vacantem, sed & partem aliam ab aliquo occupatam Jus accrescendi desiderare innuit Papin. dum partem deficientem parti agnitæ vel acquisitæ instar alluvionis accrescere, & quasi conglutinari assertit *d. l. si Titio 33. in fin. de Usufr.* Estque indubium illud, quod si quis partem sibi delatam respuat, frustra partem aliam appetat *L. 9. D. de suis & legit. L. un. §. his ita, ibi si portiones suas jam agnoverint C. de Cad. toll.* Hinc Vult. ad §. *fin. Inst. de Donat. & 1. Jurisprud. 77. Sæv. 1. de Jure ad cresc. 4.* & doctissimi alii Jus ad crescendi definiunt Jus, quo pars vacans cedit parti



parti occupata. Verum cum ipse Papinianus non univer-  
 sum Jus ad crescendi alluvioni æquiparet, sed inter portio-  
 nem fundi, & portionem ususfructus accuratè distinguat,  
 & solam illam portioni, hanc personæ accrescere statuat, &  
 vix quisquam intrepidè asseverare audeat Jus ad crescendi  
 ususfructus non esse germanam aliquam & propriam, sed  
 spuriam & impropriam Juris ad crescendi speciem, utique  
 ex definitione generis excludi Jure logico non debuit. Re-  
 gula suas admittit exceptiones, definitio non item, A po-  
 tiori fieri potuit denominatio, non definitio. quæ si suo de-  
 finito angustior vel minimam sub se verè contentam spe-  
 ciem prætereat, à legibus bonæ definitionis statim degene-  
 rat. Per accidens non fieri, aut in casu tantùm singulari, ut  
 pars ususfructus vacans personæ potius, quam rei accre-  
 scat, id vero ipsissima ususfructus natura, & verba legum  
 tam manifesta, & generalia, ut duriusculam restrictionem  
 duriuscule ferant, satis & super monent, & movent. Usus-  
 fructus hæc est proprietas, ut non rei, sed personæ cohæ-  
 reat *L. si quis unas 32. de usufr.* Differentia hæc est servitutum  
 personalium specifica, qua à servitutibus prædialibus discrimi-  
 nantur, ut personam non rem concernant & sequantur.  
 Interdum pars ususfructus & non habenti partem sed amit-  
 tenti ad crescit *ait Vlp. in L. 10. D. de usufr. accr.* unde ultro se-  
 quitur quod regulariter & plerumq; pars ususfructus, non  
 quidem parti, sed habenti partem suam ad crescat. Ususfru-  
 ctus personæ accrescit, etsi fuerit amissus, *addit Vlpian. in d. l.*  
*10.* Quidni ergò multo magis accrescat personæ, si non fue-  
 rit amissus? Ususfructus nō portioni, sed homini ad crescit,  
 disertè dicit Paul. *L. & an eadem 14. §. 1. de Except. Rei Judic.*  
 Quæ oppositio valde inutilis foret & inutilis si inter Jus ad-  
 crescendi ususfructus & proprietatis discrimen catholi-  
 cum non operaretur.

Ad ean-



## XVIII.

Ad eandem præterea hæreditatem, idemve legatum cū  
deficiente vocatos, hoc est coniunctos esse oportet, qui ad  
Jus ad crescendi adspirant. *L. si duobus 16. l. hujusmodi 84. §.*  
*quib. de legat. 1. L. conjunctim 80. de legat. 3. L. 9. D. de suis & legit.*  
Jus enim ad crescendi nunquam, nisi mediante conjun-  
ctione perficitur, & exinde Jus conjunctionis nonnullibi,  
dicitur *L. si sub conditione 16. D. quib. mod. ususfr. amit.* An ulti-  
mum testatoris elogium, an immediatè lex ipsa, an vero pa-  
ctum aliquod successorium legitimum & probatum con-  
junctim aliquos ad successionem vocet, juxta æstimo, mo-  
do ne diverso successionis genere vocentur *L. sed cum patro-  
no 6. in pr. de bon. poss. L. si ve §. de duobus D. de Iur. patron.* Non e-  
nim unius & ejusdem rei adquisitio diverso Jure censeretur de-  
bet. *L. eum qui ades D. de usucap.*

## XIX.

Sed nec ex diversis testamentis Jus ad crescendi contin-  
git *d. l. si sub conditione 16. in fin. D. quib. mod. ususfr. amit.* quic-  
quid dissentiat *Alciat. 4 parad. 9. & ad l. un. n. 49. C. quando  
non pet. part.* Si tamen eadem res duobus legata sit, uni in ta-  
bulis paternis, alteri in pupillaribus, Jus ad crescendi non  
desinit *L. plane 34. §. si conjunctim D. de legat. 1. L. cohæredi §. co-  
hæres D. de Vulg. & pupill.* quia duæ hæ tabulæ pro unis habentur.  
*L. patris §. filij D. d. t. Vid. A. Fabr. 50. Error. pragm. 7.*

## XX.

Qui à testatore conjunguntur hæredes vel legatarii tri-  
fariam distinguuntur. Alii re, alii verbis, alii re & verbit cō-  
iuncti dicuntur *L. triplici 142. de V. S. L. re conjuncti 89. de legat.  
3.* Quibus superaddunt Dd. quartum genus, nimirum lege  
coniunctos, quales esse putant Dominos servi communis,  
qui tamen conjuncti esse aperte & recte negantur *L. 20. de  
legat. 2. Robert. 2. Sent. 24.* nec enim conjunctio inter illos est,  
sed



sed verius communio *Vasq. 3. de success. progr. §. 21. num. 44.*  
 XXI.

Re coniuncti sunt, quibus eadem hæreditas, idemve legatum verbis disiunctis & separatis relictum est ut *Lucius Titius hæres esto, Publius Mævius hæres esto, item: Cajo Stichum do lego, Sempronio Stichum do lego d. l. triplici, d. l. re coniuncti.* Qui quoad rem quidem ipsam coniuncti, quoad verba tamen disiuncti sunt, duplici ac diversa oratione nominati, & ideo cum cæteris comparati disiunctorum & separatorum nomen non rarissime merentur *L. plane 34. in pr. de legat. 1. L. si pluribus 33. §. 1. & seq. de legat. 2. L. un. §. his ita, vers. ubi autem C. de Cad. toll. l. 1. §. 3. de usufr. accr.* Nulla igitur contrarietas est, aliquos coniunctos dici, & diversa consideratione disiunctos, nec probanda est Hotomanni inveciva in *veteres J Ctos, & Imp. ipsum 6. observ. 12.*

XXII.

Verbis tantum coniuncti sunt, quib. idem eadem oratione relictum est, sed expressis & discretis partibus, ut: *Luc. Titius & Publ. Mævius aquis partibus hæredes sunt, item: Fundum Tusculanum Cajo & Sempronio aquis partibus do lego. L. huiusmodi 84. §. quib. de legat. 1. d. l. re coniuncti de legat. 3.* Partes intelligimus indivisas, incertas & confusas, quæ animo percipiuntur, non oculis cernuntur, qualis partium expressio, non facit, quominus eadem res maneat *L. Mævius 66. §. 2. de legat. 2. L. cui fundus 56. D. de cond. & demonstr. L. 5. D. de stipul. serv.* Si enim partes sint reapse divisæ, vel res diversæ, tametsi una oratione relictæ, coniunctio verbalis cessat *L. 84. §. 2. de legat. 1. Gæd. ad L. 142. n. 8. de V. S.* Male igitur Anton. Fab. verbis coniunctos definit, qui eadem oratione vocantur ad res diversas *dec. 49. error. pragm. 3.*

XXIII.

Verbalem conjunctionem non consistere inter illos, qui

C



ad idem pro partib. inæqualibus vocantur, condocesecisse videntur | Cui, qui quotiens de verbali coniunctione incidit quæstio, totiens formulas & exempla non nisi de æqualibus portionibus concipiunt *L. re conjuncti 89. de legat. 3. L. si ita quis 66. D. de hered. Inst. L. pen. de usufr. accr.* Quorum actio nostra debet esse institutio. Neque fieri posse videtur ut inæqualitas partium, inæqualem & duplicem non producat orationem, ut: *Titio lego fundum Cornelianum ex octo uncis, Sempronio ex quatuor, ubi in altera orationis parte verbum lego necessario subintelligitur, & tacite repetitur, cuius repetitio certissimum præbet indicium conjunctionem non esse verbalem. Si vera est communis Dd. traditio. Grass. §. Ius ad crescendi q. 5. n. 4.* quod contra veterum Interpp. incuriam primus animadvertisse creditur subtilis. Govean.

## X X I V.

Inæquales tamen aliquando partes unâ, non duplici oratione induci posse, ex *L. & proculo 20. de legat. 2.* deducere satagit, & Goveanum, quod hanc exceptionem non addiderit, reprehendit Ant. Fab. *d. dec. 49 err. pragm. 3 in pr.* Ceterum huc nihil pertinere casum in *d. L. 20. propositum*, nec inæquales inibi partes una & coniuncta oratione constitui verius est. Quod enim Domini servum communem pro inæqualibus partibus possidentes legatum servo relictum inæqualiter adquirunt, id non fit ob unitatem orationis, vel vialicuius coniunctionis, aut Jure ad crescendi, sed Jure Domini. Nullam enim ibi adesse coniunctionem, nullum Jus ad crescendi manifeste cum Celso Proculus adfirmat, cum unitantum, puta servo legatum fuerit, & verba testatoris non Dominos, sed servum concernant, nec coniunctionem metiri oporteat ex persona cui acquiritur, sed cui legatur, coniunctionis enim hæc vis est & indoles non ut res uni seorsim legata pluribus adquiratur, sed ut res una pluri-



pluribus coniunctim legata ad solum agnoscentem devolvatur. Distinctionis temperamentum quod inter proprietatem & usum fructum adhibent *Robert. 2. sent. 24. Govean. de Iure accr. n. 27. & 28.* minus necessarium esse videtur. Quamlibet enim ususfructus servo communi relictus, si alter ex Dominis repudiet, vel ususfructum amittat, totus ad alterum Dominum pertineat *L. 1. §. 1. de usufr. accr.* non id tamen Juri ad crescendi adscribi debet, sed Juri Domini, quo servus quidquid acquirit, Domino suo acquirit, §. *item verbis 3. Inst. per quas pers. nob. acq.* & si quidem servus communis utriusque Dominorum pro parte Domini acquirere non possit, alterutri totum acquirit *L. 1. §. communis servus D. de stip. Serv. L. Plautius. D. ad L. Falcid. L. verum 63. §. si servo 9. D. pro socio. Donell. 10. comm. 23.*

## XXV.

Re & verbis coniuncti sunt quos nominum & rerum complexus jugit *d. l. 142. de V. S. ut: L. Titius & P. Mavius heredes sunt: Cajo & Sempronio fundum Tusculanum do lego.* A quibus verbis tantum coniuncti non differunt, nisi quod ex aequis partibus scripti. An copula intervenerit, nec ne, nihil attinet. Non enim copula facit coniunctionem, sed unitas orationis plures honoratos complectens *d. l. 142. de V. S.* Oratio quoque adversativa vel alternativa coniunctionem non impedit, secundum constitutionem Imp. Justiniani *L. 4. C. de V. S. contra quam disputare non erubescit Anton. Fab. d. dec. 49. err. 3.*

## XXVI.

Inter re tantum coniunctos non tam Jus ad crescendi, quam Jus non decrescendi statuendum plerique opinantur *arg. l. un. §. 11. vers. si v. nemo C. de Cad. toll. Cujac. 24. obs. 34. Govean. de Iur. accr. Gædd. ad L. triplici de V. S.* Sed veteres legum conditores verbo ad crescendi contenti, eodem pro-



miscue usi sunt etiam tūm, quando non decrefcit, ad men-  
tem magis, quam verba testatoris respicientes, quos meri-  
tò lubentes sequimur *cum Duar. Suerin. & Suev. r. de Iur. accr. s.*

X X V I I.

Realiter cōiunctis solidum singulis relictum prima qui-  
dem facie videtur *d. l. un. §. hoc ita*. Sed hæc tamen tacita sub-  
auditur conditio, si non concurrant, solidumque lex ita in-  
terpretatur, ut concursu partes fiant. Alioquin enim al-  
terutri id quòd relictum, alteri æstimatio deberetur *L. si plu-  
ribus 33. cum L. seq. de legat. r.* quod non fit, nisi palàm appa-  
reat quod testator singulis solidum prestari voluerit, quo  
casu Jus adcrefcendi non est, etsi alter agnoscat, alter omit-  
tat, sunt enim res diversæ ipsum legatum, & eius æstimatio.  
Nec legatum cōtra dispositionem defuncti duplicandum  
est. Si testator eandem rem singulis legaverit à singulis hæ-  
redibus, unicuique solidum dare voluisse videtur, & ideo  
hoc casu Jus adcrefcendi exulare, rectè perhibetur. *d. l. si plu-  
ribus, l. pen. de usufr. adcr. l. quid ergo 53. §. si quis duos D. de legat. r.*

X X V I I I.

Si quis ita dixerit: Quod Cajo legavi, Sejo lego. Jus ac-  
crefcendi locum non habebit. Non enim coniunctionis,  
sed ademptionis effectum verba ista important. *L. sicut. s. D.  
de adim. leg.* Inter quam legem & *d. l. si pluribus de legat. r.*  
difficilem esse antinomialiam putat Alciat 7. *parerg. 8.* & Inter-  
pr. insultat, quod Grammaticam vel non intellexerint, vel  
supinè neglexerint. Cæterum grammaticâ aliqua concilia-  
tione adeò opus non est, quando quidem nulla in istis legi-  
bus contrarietas locum sibi vendicat, sed una alteram limi-  
tat saltem, & bellè declarat.

X X I X.

Inter verbis tantum coniunctos num Jus adcrefcendi  
obtineat novantiqua contentionis serra hinc inde trahi-  
tur,



cur, estque isthæc controversia admodum anceps, & adeo dubia, ut in eâ Prætor ex antiquâ formula non inscitè nec imperite pronunciare possit, NON LIQVET. *Suev. 2. de Iur. accr. c. pen.* Nonnulli inter proprietatem & usumfructum discrimen adferunt, in illa locum esse Juri ad crescendi annuunt, in hoc abnuunt. *Loriot. de conjunct. 32. Duar. 1. de Iur. accr. 10. in fin.* Alii utrobique negant, cum verbis tantum cõjuncti ex ordinatione defuncti partes semper habeant *L. re conjuncti 89. de legat. 3. L. plane 34. §. si conjunctim 9. de legat. 1.* nec æquum sit ut ipso testatore simus liberaliores, & contra eius voluntatem quæ Jus ad crescendi potissimum causari debebat, & operari, totum ei concedamur, cui ipse nil nisi partem adsignavit, &c. *eleganter & subtiliter Robert. 2. Sent. 24. Govean. de Iure accr. n. 26. Ant. Fab. 6. conject. 1. & decad. 49. error. pragm. 3. & 4.* Alii cathègoricè & catholicè adfirmant per *l. 16. in fin. de legat. 1. L. un. §. 10. & seqq. C. de Cad. toll.* cum portio unius confusa penitus sit cum altera, nec unus vel glebam unam sibi propriam asserere possit, nec indivisa hæc & intellectualis partium divisio faciat, quo minus res eadem maneat. *L. Marcio 41. in pr. de legat. 2. Alb. Gentil. 1. lect. 4. Donell. 7. comm. 13. Vult. 1. Jurispr. 77. Gædd. ad d. l. triplici. 142. n. 10. de V. S. quorum sententiam veritati proximam iam nunc amplectimur.*

XXX.

Si tamen non consulto consilio, aut data opera testator aliquos verbis coniunxerit, sed celeritatem & brevitatem affectaverit, Jus ad crescendi justissimè abhinc relegatur. *L. 66. D. de hered. Inst. Cujac 24. obs. 34.* Si simplex sit, & nuda verborum conjunctio, nulla rei conjunctione admixta, manifestè quoque Jus ad crescendi quæritur, ut: *Titio & Sejo singulis singulos servos do lego* *L. hujusmodi 84. §. quib. pen. de legat. 1.* Idemq; Juris esse arbitramur, si partes naturaliter vel cor-



poraliter sint divisæ, & dissimiles, atque ad oculos demonstrabiles, ut: si testator ita scripserit: Sempronio & Mævio Fundum Tusculanum ex æquis partibus do lego, ita ut unus illam Fundi regionem, alter alteram habeat. Tali enim casu quot sunt partes, tot sunt res diversæ, & pars fundi à fundo separata, ipsa quoque per se fundus est *L. recte dicimus de V. S.*

## XXXI.

Re & verbis coniunctos, quia duplici, adeoque fortiori coniunctionis vinculo nituntur, Jure accrescendi gaudere, extra omnem dubietatis ponendum videbatur aleam, nisi negotium faceretur vexatissima *L. mulieri 74. D. de condit. & demonstr. junct. l. 1. C. de ind. vid. toll. ubi mulieri re & verbis cum Titio conjunctæ, pars Titii ob defectam conditionem non concurrentis non accrescit.* Verum rationem aliquam specialitatis isto casu dari posse non desperamus. Nec assentimur illis qui contra expressam *l. 1. C. de ind. vid. toll.* Titio partem suam asserere laborant, *Cujac. in Papin. ad d. l. mulieri Ant. Fab. dec. 50. err. pragm. 10.*

## XXXII.

Scrupulum quoque injicit scrupulosissimum intricata illa quæstio, qua anxie nimium inquiritur, utrum hi conjuncti partes, an verò solidum ab initio habeant, & an deficientes, sive non concurrentes collegatario partem faciat, eum que excludat? Partes ab initio datas intelligi, & totum ad collegatarium non pertinere dicitur in *l. plane 34. §. si conjunctim 9. L. hujusmodi 84. §. si Titio D. de legat. 1.* Contra solidum datum esse, & deficientem non facere partem collegatario traditum est in *d. l. si duobus 16. in fin. de legat. 1. L. quidam 5. §. ult. & l. utrum 7. de reb. dub. In quarum concitiatione mire se torquent Dd. quos refert Suet. 2. de Jur. accr. 3.* Sed diversa potius, quam invicem pugnantia hæc esse responsa, nemo, opinor, diffitebitur, qui Imperatoris jussu in *L. 2. §. 15. C. de Vet. Jur. enucl.*



*enuecl.* secutus, subtili animo diversitatis rationes excusserit. Nam & solidum & partes suo certo respectu habere videntur. Solidum quidem singulis datum est, verum non simpliciter, sed sub tacita conditione, si non concurrant: partes quoque ab initio habent, sed hac conditione: si concurrant. Et licet hæ partes non expressæ sint, sed significatæ tantum, tamen ad vim Institutionis non refert quomodo voluerit Testator, dum voluisse constet *L. 12. in fin. de legat. 1.* Nec insolens est, aut infrequens quædam ex eventu certa fieri *L. 15. D. de reb. dub. Donell. 7. comm. 13. & ad L. 7. de Reb. dub.*

### XXXIII.

De coniunctione verbali tantum, non mixta loqui Ulpian. *in d. l. plane 34. § si conjunctim de legat. 1.* contendit Rober. 2. *sent. 24.* quem formula & exemplum Ulpiani satis & super refutat. Ad distinctionis medium & remedium plerique alii confugiunt, & priscum inter legata damnationis & vindicationis discrimen repetunt. *Cujac. 5. ad African. Hotom. 7. obs. 12. Ant. Fab. 6. conject. 5.* Cæterum quia discrimen illud imperatoria sanctione dudum est sublatum *L. 2. C. comm. de legat. L. un. § ubi autem. vers. nos autem C. de Cad. toll.* id postliminio revocare non possumus, & cum mixtim conjuncti ex edicto Imperatoris in Juris ad crescendi possessionem denuò mittantur *d. l. un. § ubi autem, & § his ita C. de Cad. toll.* antiquo antiquati Juris interdicto amplius eos minime omnium turbandos esse concludimus, *quidquid contra Imp. disputare ausit Ant. Fab. d. dec. 49. error. pragm. 9.*

### XXXIV.

Si omnes uno horum trium modo sint conjuncti, & unus deficiat, portionem eius evacuatam cæteris adquiri indubium est: Sed si permixti, quidam re & verbis, quidam verbis tantum quidam re conjuncti, quinam ex conjunctis & quibus præferantur, id verò definire in difficili est. Facilius

lius



lius tamen per distinctionem hanc reddi nulli dubitamus: Si deficiat unus ex re coniunctis, non solum re coniuncto, sed reliquis omnibus portionem accrescere *juxta L. un. §. his ita, vers. sin autem C. de Cad. toll. L. hæredes 63. D. de hæred. Inst. ita tamen ut re & verbis, vel verbis tantum coniuncti, cum disiunctis concurrentes, unius personæ potestate fungantur. L. 34. in pr. de legat. 1.* Quia is qui re coniunctus erat deficiens, non saltem cum re coniuncto, sed cum aliis pariter re coniunctus est, omnes enim qualitercunque coniuncti, inter se tacite sunt re coniuncti, cum ad eandem rem sint vocati *Don. 7. comm. 13. Cujac. 24. obs. 34. Bocer. class. 3. disp. 8. th. 73.*

## XXXV.

Sin verò deficiat unus ex re & verbis coniunctis, præferri omnimodo cæteris debet, qui re & verbis coniunctus est. Mixtim enim coniunctorum conditio censetur firmissima quando quidem duo vincula plus ligant, quam unum arg. *Auth. itaq; C. comm. de success.* sed etiam si verbis tantum coniunctus deficiat, magis est ut verbis tantum cōiunctus præferatur. *L. 89. de legat. 3. quam legem mendose emendat Gribald. & pro Et ipse, substituit Non ipse.* Alii aliter dissentiunt quibus respondent *Don. 7. comm. 13. & in Notat. Hillig. Duar. 2. de Iure accr. 17. Cujac. 1. obs. 19.*

## XXXVI.

Qui nomine colectivo vocantur in unum quasi corpus redacti, pro una persona habentur, ac proinde inter se coniunctiores, & cæteris coniunctis potiores censentur. Hinc si quis Titium & fratris sui filios hæredes instituerit, Titius quidem solus nominatim appellatus, tantundem fert, quantum fratris filii omnes collectim vocati, nisi aliud voluisse testatorem liqueat, *L. interdum 13. de hæred. Inst.* si tamen unus ex filiis fratris deficiat, pars eius solis fratribus accrescit non verò Titio, licet & is cum deficiente re & verbis fuerit con-



coniunctus *L. si quis 7. D. de usufr. accr.* Filii enim in unum corpus coacti coniunctiores sibi invicem sunt, quam Titio. *Nec hanc assertionem infringit difficilis L. Lucius, antepen. §. Lucius de legat. 2. quã explicant Cujac. 2. respons. Scæv. ad d. §. Lucius. Duar. 2. de I. accr. 7.*

X X X V I I.

Cum hæres ad hoc fiat per leg. 12. tab. itemque hæreditas ut repræsentet personam defuncti, quæ individua est nec repræsentari pro parte potest *L. Pomponius 8. in fin. D. de rei vind.* hinc & hæc resultat conclusio, Hæreditatem pro parte acquirere, pro parte v. omittere licere nemini, sed partem deficientem nolentibus & invitis. *l. un. §. 10. C. de Cad. roll.* multoque magis ignorantibus hæredibus accrescere *L. hæredi 31. de acquir. hered.*

X X X V I I I.

Quæ tamen unam atque alteram recipit limitationem, secus enim habet, quando pars altera iam quidem vacans, vel ipso Jure vel aliquo facto à cohærede antehac fuerit adquisita. Hinc si minor agnitam hæreditatis portionem suã, impetrata restitutione in Integrum repudiet, accrescit ea quidem portio cohæredi, sed non nisi volenti *L. 61. de adq. vel omitt. hered.* Sic nec illi qui prius partem suam agnovit, quam hæres suus abstinuit, invito portio obtruditur, sed electio conceditur, ut vel totam hæreditatem accipiat, vel à tota recedat. *L. pen. de acquir. hered.* ne beneficium uni concessum in alterius jacturam & damnum redundet. *Don. 7. comm. 12. Duar. 2. de Iur. ascr. 1. Ant. Fab. s. error. pragm. 8. & 9.*

X X X I X.

Legatum quoque scindi & dividi non potest, nec pro parte agnosci, pro parte repudiari debet *L. si cui res 68. D. de legat. 2.* & iccirco penes invitum etiam remanet totum, si quidem collegatarii re fuerint coniuncti. Sicuti enim lega-

D



tarius, cui uni tota res legata fuit, ob voluntatem testatoris individuum, non potest partem velle partem nolle *L. 38. de legat. 1. L. 4. L. 58. de legat. 2.* Ita nec collegatarius, cui eadem res cum altero distinctis verbis fuit legata. Cuilibet enim ab initio in solidum res legata, deficienteque collegatario apud alterum manet tota, ac si ei soli legata esset ab initio. Liberiore Jure utuntur cæteri, alio modo coniuncti, quibus pars vacans non ex propria, sed deficientis persona debetur, & licitum est non minus ac deficienti, in cuius locum quasi succedunt, partem repudiare, *L. un. §. ubi 11. C. de Cad. toll. arg. L. qui in Ius 176. de R. I.*

## X L.

Accrescit autem pars defecta coheredibus quidem pro hæreditariis portionibus, hoc est pro ratione & quantitate partis hæreditariæ, quam unusquisque habet, *L. liber homo 59. §. cum quis D. de hered. Inst. L. un. §. his ita C. de Cad. toll.* Collegatarius verò pars legati deficiens ex æquo, sive pro virili, & pro numero personarum, non pro quantitate partium, si quas diversas & inæquales habent, accrescit *d. l. un. §. sed ut 8. C. d. r. Dissentiunt multi qui differentiam inter legata & hæreditates nullam hac in re agnoscunt.*

## X L I.

Neque tantum commoda & compendia, verum etiam discommoda & onera cum ipsa parte deficiente Jus accrescendi transfert. Nam secundum naturam est, ut cuius rei lucrum quis amplectitur, eius quoque onera annexa sustineat *L. secundum de R. I.* & quem testator honoravit, eundem & onerare potuit *L. ab eo C. de Fideicom. L. 2. D. de legat. 1. L. 6. de legat. 3.* Pars itaque deficiens cum suo gravamine coheredi accrescit *d. l. un. §. 2. & §. his ita finitis C. de Cad. toll.* quia hæreditati potius quam personæ impositum fuisse censetur, nisi contrarium appareat, *ut si tale onus sit, quod ex senten-*

110



tia testatoris impleri non possit, nisi ab illo cui id injunxit d. l. un. §. ne autem C. de Cad. toll. L. ult. C. de condit. insert. Pari Juris passu ambulant collegatarii coniuncti, secus est in disiunctis sive re tantum coniunctis, quibus accrescit sine onere d. l. un. §. ubi autem legatariis C. de Cad. toll. quia illi proprio Jure utuntur, & altero non concurrente non alienum consequuntur, sed suum sive solidum ab initio relictum imminutum retinent, & absque alieno onere obtinent d. l. un. §. sin. vero. Et hæc tam variè non sine ratione, quod putat Ant. Fab. dec. 50. error. pragm. 3. constituta esse credimus.

## X L II.

Cum Jus ad crescendi conjunctionem aliquam plurium hæredum perpetuo præsupponat, ultrò corrumpit sententia Donelli, in uno etiam ad hæreditatem vocato Jus ad crescendi, statuentis 7. comm. 12. Nam & qui ex asse hæres scriptus, si ex parte saltem adire præsumat, & qui unus in re certa vel quota hæreditatis institutus, nullo dato cohæredere, uterque in assem sive in solidum hæres efficitur L. si asse 10. L. 80. in pr. de acquir. hered. non quidem Jure ad crescendi, sed Jure institutionis, quæ ad universum Jus quod defunctus habuit extenditur, Et ille quidem ex manifesta testatoris dispositione, hic ex legis constitutione succedit L. 1. §. si ex fundo de hered. Inst. Gomez. 1. resol. 10. n. 9. idemq. notat Hillig ad Donell. d. loc.

## X L III.

Cum in omni ultimo elogio Juri ad crescendi locus pateat l. un. §. sin. autem & §. hæc autem omnia C. de Cad. toll. A fideicommissis universalibus iniuria id exclusisse videntur Cujac. 12. obs. 12. Ant. Fab. dec. 50. err. 1. & 2. In Mortis causa donationibus Jus ad crescendi nullum habere locum error est eiusdem Fabri theoreticus, contra indubitatum pragmatum veritatem legibus belle consonam L. omnib. L. Mar-



cellus 15. *L. illud generaliter 37. D. de Mort. Caus. donat. d. l. un. §. 14. C. de Cad. toll. subtiliter magis quam utiliter affectatus. Dec. 43. error. 9. & dec. 48. err. 10.*

## X L I V.

An testator Jus adcrefcendi prohibere possit non paucæ frugis quæstio est. Posse eum impedire Jus accrescendi fortiori aliquo Juris remedio liberaliter largimur, puta per substitutionem. Substitutio enim potior est Jure adcrefcendi *L. 2. §. si duo de vulg. & pupill. l. 2. §. pen. de bonor. poss. secund. tab. l. un. §. pro secundo, §. fin. autem C. de Cad. toll.* propter magis enixam & expressam testatoris voluntatem. Expressum enim facit cessare tacitum. Aliàs Jus illud simpliciter prohibere testator paganus nequit, si ista prohibitio faciat, ut pro parte testatus pro parte intestatus decedat, *contra L. Ius nostrum de R. I.* Nemo enim cavere potest, ne leges in testamento suo locum habeant. *L. nemo 55. de legat. 1.* Militis libero relictum est arbitrio, ut partim testatus, partim intestatus decedat, cuius ea propter testamentum Juri adcrefcendi non subiacet *L. si miles 6. L. si duobus 37. D. de Testa. mil.*

## X L V.

Neque in testamentariis solum, sed etiam in legitimis, vel ab Intestato successioneibus Jus adcrefcendi invenire licet *§. si plures Inst. de legit. agnat. success. l. 3. §. 3. D. de suis & legit. l. qui ex duobus 53. §. fin. de acquir. hered. Auth. cessante C. de legit. hered.* Bonorum quoque possessiones quoad hunc Juris effectum hæreditaribus æquiparari manifestarium fit *ex L. 3. §. ult. & LL. seqq. de bon. poss. l. un. C. Quando non pet. part.*

## X L V I.

Quia novum hodie & tertium genus successionis, conventionalis inquam sive anomalæ, jure & more plurimarum gentium receptum est & approbatum, multisq; illustrium personarum exemplis nobilitatum, quod veteribus Jurisconsultis



*sultis minus cognitum, magis exosum fuit. Vincent. Cabot. 2. disp. Jur. publ. & pr. 12. Gail. 2. obs. 127. Heig. p. 1. q. 23. Warem. de Erenberg. 1. de Fæder. 2. n. 36. & c. 4. n. 10. Henr. Bocer. de Success. Feud. c. 2. q. 2. & 3. Christoph. Besold. lib. 1. disput. Nomicopolit. Differ. 13.* Hinc nova enascitur controversia. Num in unione proliū, confraternitatibus hereditariis, & id genus aliis pactis successoris Jus adcrecendi sedem aliquam inveniat? Pleriq; propter interveniens pactum & conventionem Juris adcrecendi nesciam, strenuè id & constanter negant. Cæterum successionis potius, quam conventionis naturam hic introspiciendam esse, benè monet *Suev. 2. de Jur. accr. 2.* Sufficit enim adesse aliquam successionem non improbam, nec improbatam, an illa immediate ab ipsa lege, an facto aliquo hominis licito deferatur, ad Jus adcrecendi non attinet. Si itaque duo, pluresve ad eandem successionem pactione aliqua legitima vocentur, & unus portionem sibi delatam cernere renuat, cæteros Jure adcrecendi gaudere consequens est.

#### X L V I I.

Cum quæritur num in feudis sit locus Juri adcrecendi in negativam sententiam abeunt communiter omnes, quos plures citat *Vult. 1. F. 9. n. 119.* Expediti enim Juris est, inquit, si duo de feudo investiti fuerint, uno sine hærede defuncto, ad alterum non pertinere eius feudi portionem, nisi facta sit eo pacto investitura. *C. un. de Fratib. de nov. benef. invest. c. un. §. pen. Quib. Mod. Feud. amitt. C. un. §. fin. de feud. March.* Omnisq; feudi successio descendit ex pacto primi adquirentis, & quando pars vacans defertur superstiti, id non sit Jure adcrecendi sed vi taciti pacti, & lege primæ investituræ. *Hotom. conf. 31. n. 24. Fichard. conf. 6. nu. 1. vers. quod dicitur vol. 1.* Sed male confundere illos equidem opinor, feudi novi concessionem cum feudali successione, quæ



inter se immane quantum distant? Nam feudi concessio, si-  
 ve constitutio conventionem aliquam & traditionem perfici ad-  
 solet, nec magis quam alia inter vivos donatio, aut pactio  
 cum successione, & per consequens cum Jure adcrendi,  
 quicquam commune habet. A successione verò feudali cur  
 Jus adcrendi proscribi oporteat, merito me latet causa.  
 Nam quod in feudis vi pacti & ex tenore investituræ suc-  
 cessio deferri dicitur, id verè quidem & rectè dicitur, sed mi-  
 nus rectè huc applicatur. Eodem enim ego modo negare  
 possem Jus adcrendi habere locum in successione testa-  
 mentaria, & ab intestato, propterea quod pars vacans co-  
 hæredi deferatur ex dispositione testatoris, sive ex tenore  
 testamēti, & vigore Legis. Nisi enim vel testator, vel imme-  
 diate lex ipsa hæredes aliquot conjunxisset, sive ad eandem  
 successionem vocasset, utiq; cohæres partem vacantem cō-  
 sequi nunquam potuisset. Quemadmodum vero in aliis  
 successione talis decidendi ratio proba non est, nec ad  
 Rhombum accommoda, quæstio enim est de modo hæ-  
 reditatem vel partem deficientem acquirendi, responsio  
 est de causa efficiente, sive disponente & moderante hære-  
 ditatem, sic etiam in successione feudali ex tali ratione, ad  
 excludendum Jus adcrendi perparum & perperam in-  
 ferri videtur. Nullas subesse Juris adcrendi proprietates  
 in successione feudali existimat *Rosenth. c. 6. conclus. 134.* sed  
 quasnam ille proprietates requirat, sanè nescio, qui imò o-  
 mnes proprietates concurrere hic posse, nullus ambigo.  
 Revera enim aliquam esse successionem feudalem, sæpius  
 duos pluresve ad eiusdem feudi successionem vocari, fieri  
 item non rarissime posse, ut unus portionem sibi delatam a-  
 gnoscere prætermittat, nemo negatum iverit. Quid verò  
 hic reliquum, quam ut partem deficientem cæteris hære-  
 ditatem feudalem aduentibus accrescere dicamus? Nec  
 magis



magis obesse potest heredi feudali, quo minus Jure adcre-  
scendi utatur, quod vi primæ investituræ, sive ex tenore bre-  
vis testati succedat, quam hæredi testamentario, aut legiti-  
mo obest, quod vi testamenti, vel vigore legis succedant, &  
partem vacantem consequantur. Concessa successione ip-  
sum quoque Jus adcrescendi, cæteris tamen paribus, hoc  
est concurrentibus aliis eius requisitis, concedi oportet.  
Estque hæc feudalis successio non minus legitima, quam il-  
la allodialis, sicuti enim hæc dependet partim ex placito  
hominum, partim ex ordinatione legum: ita & illa partim  
pactionibus, partim moribus & legibus feudalibus defini-  
tur, suisq; terminis circumscribitur. Quicquid Jus feudale  
non improbat, id dispositioni Juris Civilis commendat. *c.  
un. vers. fin. de Feud. cognit.*

#### XLVIII.

In contractibus Juri adcrescendi locum valde indebitum  
& indignum tribuunt quamplurimi, ex quibus *Vasq. 2. contro v.  
17. n. 7. Robert. 3. animadv. 12. & 3. notat. 12.* Quos alii satis & su-  
per refutarunt, quibus ad stipulor, & miror saltem, quid in  
mentem istis venerit, quod Jus adcrescendi eò usque porri-  
gere non dubitarint, cum Juris adcrescendi præsupposita  
necessaria, hic desint omnia, & manifestissimi Juris sit, in  
contractibus rerum dominia nunquam ipso Jure, ut in suc-  
cessionibus, ipsoq; nō Jure adcrescendi *L. à Titio 64 in fin. de  
Furt. L. heredi 31. de acquir. hered.* sed traditionibus, aut usuca-  
pionibus transferri. *L. traditionibus C. de pact.* Si itaque factum  
aliquod hominis, sive traditio ad transferendum rei obli-  
gatæ dominium est necessaria, Jus adcrescendi quod in nu-  
do Jure, & pura putâ legis potestate, non in facto consistit,  
sufficere minime poterit, sin verò traditio accesserit, fru-  
strà Jus adcrescendi intervenerit, dominium enim non nisi  
ex una causa acquiri potest, & quod semel meū est amplius  
meum



meum fieri nequit. *L. 3. §. 4. de acquir. poss. L. non ut ex pluribus de R. I.* Neque ulla lege probari posse puto, quod dominiū rei, proprio & alieno nomine in contractum deductæ, sine traditione soli contrahenti adquiratur, hoc quidem dicitur totam obligationem hoc casu in solidum pertinere ad unum contrahentem, cum inutilis sit & supervacua alterius personæ adiectio *L. fundus ille 64. D. de contrah. empt.* Quod si quis Jure accrescendi fieri dicat, ut solida obligatio ad unum perveniat, ille hoc paradoxon statuatur necesse est, Jus accrescendi esse modum, vel causam acquirendę obligationis adeoque inter contractus vel delicta connumerandum, quo nihil absurdius.

## X L I X.

Donationem duobus fratribus ab Imp. factam Jus accrescendi admittere, cum non nemine statuit *Duar. 1. de Jur. accr. 16. per l. un. C. si liberalit. Imperial. socius sine hered. decess.* Cæterum cum Jus ad crescendi duos vel plures ad eandem successionem esse vocatos, & alterutrius portionem nunquam aditam, aut occupatam requirat, & verò hæc talia & alia in reciproca hac successione minimè intercurrant, veriùs est socium partem socii prædefuncti acquirere, non Jure ad crescendi, sed Jure successionis legitimæ, propter enixam & prolixam Imperatoris liberalitatem, & largissimã ac pleniss. beneficii interpretationem *vid. Suev. 2. de Jure accr. 2.*

## L.

Ad Emptorem hæreditatis Jus accrescendi transire masculè negandum credo, donec duo hæc liquidò probata fuerint. I. in hominis privati esse arbitrio aliquem alterius hæredem facere, id quod tamen ne prætori ipsi permittitur *§. quos autem vers. per legem enim tantum Inst. de bonor. poss. L. 2. L. non est 12. §. ult. D. eod. 2.* Eum qui semel hæres extitit suo pacto aut facto desinere posse hæredem esse. *Contra L. 2. C. de pact. L. etsi 8. §. sed quod de Minor.*

*Deo TrInVni sIt LaVs & gLoria seMpterna.*



venio metallico in fundo feudali repte, nūm ptineant  
ad alium feudi directum, an v. ad vasallum. disp. 2. 13.  
Haec nūm nomine an fisco commodum Junis Regalis p. 12.  
th. 14.  
v. f. m. s. n. a. n. y. an i. y. Junis g. r. a. n. e. o. c. e. s. t. r. e. p. o. s. s. i. s. d. i. s. p. 3.  
3. coroll. 4.

---

01 A 6525

ULB Halle

3


002 935 813




12

1007









OLEMNIS  
 216  
 DECRE.  
 ONTRO.  
 M  
 entls aDJVtorlo  
 bilissimi Iurecon-  
 Academia Hei-  
 Bima.  
 DE  
 FFMANNO,  
 flore.  
 & summis in Iure u-  
 s publico examini  
 Brandenburg.  
 rio. 5. April.  
 R G Æ,  
 ti, Acad. Typogr.  
 XV.

